Fragmentarium

Oculos cordis. hoc in loco intellegere debemus. qui tunc in morte obdormiunt.
quando lumine fidei sepulto. carnali delectatione claudunt. Ipse est enim 4
somnus. de quo letatur inimicus. De quo inimico. hic subditur. Nequando
dicat inimicus meus. preualui aduersus eum. hoc de diabolo et angelis eius dicit
qui aliorum ruinas. suas putant esse uictorias. De quibus etiam subditur. Qui tribu
lant me. exultabunt si motus fuero. Talis enim illorum est consuetudo. ut tunc
exultantes efficiantur leti. quando deceptos a se cognouerint ira possidere.
Quod dicit si motus fuero. significat infidelis anime mutabilitatem. que tunc
in laqueum diaboli pedem mittit. quando se a fidei firmitate submouit;
Quindecimus. psalmus. dicit. Prouidebam dominum in conspectu meo
semper. Quidnam semper intueri. nulla ternis ad de ... conuertitur. sic tunc quando
ueritas cor inhabitat. falsitatis ianuam ... XVI. Psalmus
Exaudi domine iustitiam meam. Apud deum certum est habere iustitiam uocem
suam. Ipsius est enim oratio perfecta. cuius et clausa clamat et lingua. actus
et sermo. uita et cogitatio; Perfice gressus meos in semitis tuis. Perfice dixit.
usque in finem conserua. ubi est meritorum perfectio tota. Gressus. humanas signi
ficat actiones. quibus in semitis. id est in mandatis dei. si deuoti gradimur. adce
lestis patrie munera peruenimus; Exsurge domine. preueni eum. et subplanta
eum. eripe animam meam ab impio. Exsurge domine in uindicta contra diabolum.
preueni eum antequam perficiat malum. et subplanta eum ut non possit exercere
quod cepit. Eripe animam meam ab impio. id est a diabolo. XVII. psalmus
Diligam te domine fortitudo mea. Non ... dominum. qui mandatis eius deuotus
obtemperat. Fortitudo mea. quia te donante uirtutem. inimicis meis
fortior apparebo. Dominus firmamentum meum. et refugium meum. et liberator meus.
Modo est enim illi fortitudo. modo firmamentum. modo refugium. modo liberator.
modo adiutor. modo protector. modo cornu salutis. et modo susceptor;
Inclinauit celos et descendit. Magnum sacramentum in hoc sermone tenetur.
Inclinauit celos. id est uirtutes celorum. quando gabrihel archangelus ma
rie uirgini aduentum nuntiauit saluatoris. et in ... ei angelis

filios regenerationis dicit. qui a flumine iordane manauerunt. 6
ubi dominus in exemplum nostre salutis baptizatus est; LXXXIIII.
Benedixisti domine terram tuam. id est sanctam mariam. cui Psalmus
angelus ait. Benedicta tu in mulieribus. Siue benedictam ter
ram. psalmista pronuntiat. carnem quam ipse dominus. de maria uir
gine adsumere dignatus est. seu sanctam ecclesiam. quam secundum apostolum. omni
benedictione spiritali repleuit; Conuerte nos deus salutaris noster.
dicit ecclesia domino ihesu christo qui est salutaris noster. quia per nosmetipsos con
uertere non ualemus. tu conuerte nos ad te. et conuertamur. Tu
enim dixisti peccatoribus. Conuertimini ad me. et ego conuertar
ad uos. Et auerte iram tuam a nobis. Illam uidelicet. quam pro peccatis
nostris meremur accipere. propter misericordiam tuam auerte. Tu enim dixisti.
Nolo mortem peccatoris. sed ut conuertatur et uiuat; Deus tu conuersus
uiuificabis nos. et plebs tua letabitur in te. Conuersus ad nos uiuifica
bis nos. Et ideo plebs tua. id est christiana. quam uiuificasti remittendo pec
cata. letabitur in te. propter remissionis beneficia; Ostende nobis
domine misericordiam tuam. et salutare tuum da nobis. Misericordia enim dei patris.
et salutare eius dominus est ihesus christus. quem sibi ecclesia petit dari. Primum osten
de nobis dicit. ut non solum carnis uelamine coopertum. sed etiam potentie
sue ostendat illum in claritate conspicuum. Deinde da nobis dicit salu
tare tuum. quasi possidendum et quasi munere eterne glorie perfruendum;
Misericordia et ueritas obuiauerunt sibi. Ipso quippe domino prestante.
duo testamenta in unius ordine seriem copulationis adducta sunt. In nouo
enim misericordia est. in qua per gratiam liberatur genus humanum. In ue
teri. ueritas est. ubi lex et prophetarum adnuntiatio ueracitatem continent.
et ait duo sibi obuiauerunt. non ad contrarietatem. sed ad gratiarum
salutem. Iustitia et pax osculate sunt. hoc ipsum uaria nominum
iteratione geminauit osculum. id est duas res. iustitiam et pacem in
mutuam uenisse concordiam; Veritas de terra orta est. et iustitia
de celo prospexit. Veritas de terra orta est. quando christus ex maria uir

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 9377, 4r – Expositio in psalmos
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcsz/2519/41627)